



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

- ANNO CHRISTI 1415.  
\* Abund<sup>z</sup> Ioannes \* Habunde pro se & episcopo Eistetensi & duce Franconiae.  
Lampertus de Grolia, pro se & regno Hungariae.  
Bertholdus Ruke præpositus Lubecensis, pro se & episcopis Tarbacensi, Oziliensi & Coromensi.  
Petrus Storch in theologia doctor, pro vniuersitate studii Lipsensis.  
Ioannes Creste licentiatus in utroque iure, pro duce Guillelmo Bauariæ, comite Hollandiæ,  
Hannoniæ & Zelandiæ.  
Magister Albertus de Nurembergia, pro se & episcopo Bambergensi.  
Philippus de Lumpressa literarum apostolicarum scrip-  
tor, pro se & Bartholomæo abate monasterii sancti Laurentii extra muros Tridentinensis.  
\* Cunto \* Cunto de Suuola, auditor sacri palatii apostolici, &  
Albertus Varempapp pro se & archiepiscopo Pra-  
gensi.  
Ioannes & Arnoldus Forcheim, literarum apostolicarum  
scriptores, pro se & electo Getensi.  
Michael de Ezsedal rector parochialis ecclesiae in Losen  
Vratislauiensis diœcesis, pro præposito Martalenfi  
ordinis Præmonstratenſis, Constantiensis diœcesis.  
Nicolaus de Ballionibus, prior generalis ordinis sancti se-  
pulcri Dominici.  
Germinianus pro se & abbatte sanctæ Trinitatis Veronensis,  
ordinis Vallis Umbrosæ.  
Basilius de Trifis, procurator episcopi Vicanensis.  
Fridericus episcopus Fulginatensis, pro abbatte montis  
\* Cassanensis, & Iacobo episcopo Spoletano, episcopo  
Nucerino, & pro Nicolao abate monasterii de Cruce  
fuxi viui de Fulgineo.  
Dominus Arpinus de Alexandria, pro episcopo Albin-  
ganensi.

### SESSIO XXI.

ANNO CHRISTI 1416. **A**NNO a nativitate Domini millesimo quadringentesi-  
mo decimosexto, die vero Sabbati trigesima & pen-  
ultima mensis Maii, fuit celebrata sessio generalis in ma-  
iori ecclesia Constantiensi, præidente eidem reueren-

dissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi: in qua quidem sessione dicebatur officium Missæ de Spiritu sancto , cum litaniis & aliis \* sessionibus requisitis. Quibus expletis , fiebat sermo ad clerum per reuerendum patrem Iacobum episcopum Laudensem, qui pro suo themate assumpsit verba hæc, videlicet: *Exprobrauit Deus incredulitatem eorum & duritiam cordis.* Et eo finito , magister Hieronymus de Praga in medio existens , ascendens quemdam bancum , replicauit contra præfatum dominum Iacobum & eius sermonem , & alia diuersa dixit & allegauit. Quibus & aliis pluribus auditis, reuerendissimus pater dominus patriarcha Constantinopolitanus , vnu de commissariis ipsius Synodi , dicto magistro Hieronymo præsente & audiente , sententiam definitiua contra eumdem Hieronymum de Praga alta & intelligibili voce in scriptis legit & promulgauit , prout & quemadmodum in quadam schedula papryea , quam in suis manibus tenebat , tenoris inferius interferti , plenius continetur & habetur. Qua siquidem sententia lecta , & per Synodus vniuersaliter approbata , & per deputatos nationum , Antonium Concordensem , Vitalem Tolonensem , Nicolaum Mersburgensem , & Patricium Cortagensem , episcopos , ac præfatum dominum Ostensem , per verbum , Placet : idem Hieronymus traditus est potestati sacerdotali , & combustus fuit.

*Tenor sententiæ definitiæ latæ contra Hieronymum de Praga.*

*In nomine Domini. Amen.*

Christus Deus & saluator noster vitis \* matura , cuius pater agricola est , discipulos ceterosque fideles suos in illis instituens , inquit : *Si quis in me non manferit , mitteatur foras sicut palmes , & areset.* Cuius summi doctoris & magistri doctrinam sequens , & præcepta exequens hæc sancta Constantiensis Synodus , in causa inquisitionis hereticæ prauitatis per eamdem sanctam Synodum mota , fama publica referente , & clamorosa insinuatione demonstrante , contra magistrum Hieronymum dictum de Praga , dictum magistrum in artibus , laicum , ex cuius causæ actis & processibus constat , eumdem Hieronymum tenuisse , asseruisse , dogmatizasse nonnullos articulos

ANNO CHRISTI 1416. culos hæreticos & erroneous , dudum a sanctis patribus reprobatis : quosdam vero blasphemos , & alios scandalosos , & alios piarum aurium offensiuos , temerarios & seditiosos , dudum per damnatae memoriae viros Ioannem Vuicleff & Ioannem Hus assertos , prædicatos & dogmatizatos , ac in nonnullis eorum libris & opusculis insertos . Quique doctrina & libri prædictorum Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus , ac Vuicleff memoria , dictique Ioannis Hus persona , per eamdem sanctam Synodum & eius sententiam de hæresi damnati & damnatae fuerunt . Quamque damnationis sententiam idem Hieronymus postmodum , pendente huiusmodi inquisitionis causa , in eadem sancta Synodo cognoscens & profitens veram , catholicam & apostolicam fidem approbavit , & eidem consensit , anathematizauitque omnem hæresim , præcipue eam , de qua erat infamatus , & se confitebatur infamatum , & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vuicleff & Ioannes Hus in suis opusculis , sermonibus & libellis , & propter quam seu quas , eum suis dogmatibus & erroribus ab eadem sancta Synodo damnati fuerunt tamquam hæretici , & eorum doctrina similiter damnata ; præmissorumque omnium damnationem professus , & iurauit se in hac fidei veritate permansurum . Et si ipse quidquam contra sentire , prædicare præsumperit , Canonum seueritati subiacere , & æternæ poenæ voluit obligari . Nec non suam professionem manu sua conscriptam eidem sancta Synodo obtulit atque dedit . Post quas professionem & abiurationem multis diebus transactis , sicut canis ad vomitum rediens , ut virus pestilentissimum quod in suo latitabat pectore , publice euemeret , audientiam publicam sibi dari in eadem sancta Synodo postulauit . Qua sibi concessa , coram eadem Synodo publice congregata afferuit , dixit & professus est in effectu , quod præfata sententia damnationis dictorum Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus inique consenserat , & illam sententiam approbando mentitus fuit . Nec verebatur se confiteri mentitum : quinimo confessionem , approbationem & professionem suas super illorum damnatione reuocabat nunc & in æternum , afferens se in libris Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus nullam vñquam hære-

Concil. Tom. 29.

Sff

sim vel errorem legisse, licet ante fuerit confessus, & probatum sit euidenter, ipsum libros eorum diligenter studuisse, legisse & dogmatizasse, & in quibus constat plures errores & haereses contineri. Vnde idem Hieronymus de sacramento altaris & transsubstantiatione panis in corpus professus est se tenere & credere, quod ecclesia tenet; dicens, se plus credere Augustino & ceteris ecclesiarum doctribus, quam Ioanni Vuicleff & Ioanni Hus. Constat insuper ex præmissis, eumdem Hieronymum prædictis Vuicleff & Hus damnatis & eorum erroribus adhaerere, illorumque fautorem fuisse & esse: propter quæ eadem sancta Synodus eumdem Hieronymum palmitem putridum, aridum, in vite non manentem, foras mendum decernit, ipsumque hereticum, & in haeresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiat & declarat, atque damnat.

## SESSIO XXII.

*De unione ambasatorum regis Aragonum.*

**D**IE Iouis decimaquinta mensis Octobris, anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, indictione nona, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, ad hoc specialiter deputata, & reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis schedulam tenoris sub sequentis legit & publicauit.

*Decretum locationis ambasatorum regis Aragonum.*

Sacrosancta Synodus Constantiensis considerans, quod ad suam & suorum ad hoc deputatorum instantiam, oratores carissimorum ecclesiarum filiorum Iacobi & Ioannæ, regis & reginæ Ierusalem & Siciliæ illustrium, requisiti fuerunt, ut quoniam expectantur oratores carissimi ecclesiarum filii regis Castellæ & Legionis illustris huc ad Synodus venturi, ad perficiendum cum ipsa Synodo ecclesiarum unionem, placeret eisdem oratoribus dictorum regis & reginæ, dimittere locum, quem in loco sessonis nunc tenent, tamquam qui eisdem oratoribus dicti regis Castellæ venientibus debebitur, & durante praesenti Concilio, vadant ad partem sinistram immediate post